

wart insighlli fore þættæ bref sættæ. Oc war þættæ skippæt. oc scriwæt .i. alnu æptir wars hærræ fözlo þagh. 1) þusæn arum. oc tu hundræð. oc attatighi. oc fæm arum.

800.

1285.

Fru CHRISTINA BIRGER JARLS dotters Testamente af åtskilliga lägenheter och penningar till andeliga inrättningar.

A. 7. a. 1: 16.

JN nomine sancte & indiuidue trinitatis, Ego Cristina byrgheri ducis sweorum quondam filia, consideraui quod omnia que sub celo sunt ex nichilo condita sunt, & ad suam tendunt originem naturaliter vniuersa, & hoc solum de rebus transitorijs post huius vite transitum non transire dinoscitur, quod ad pietatis opera misericorditer erogatur, Ideo in nomine superbenedictæ trinitatis sana & incolumis, de rebus michi ab ea licet inmerite largissime concessis, testamentum meum condidi in hunc modum, In primis Monachis in alwastrum apud quos ex deliberacione diutina vna cum marito meo predilecto domino siggone sepulturam eligere deereui, curiam dictam lywnær integraliter assigno, vno dumtaxat excepto octonario & fundo qui vulgariter tomphth appellatur, quos cum siluis & omnibus sibi attinentibus, curie nostre wallær nominate irrefragabiliter annecto in perpetuum possidendos, tali nichillominus interiecta condicionem, quod proventus omnes curie premissæ fideliter & totaliter collecti, annuatim semper in decollacione beati Johannis baptiste, ad tocus conuentus solatium & recreacionem, in quantum extendi valuerint pro pýtancia communiter expendantur & ne temporis incertitudo obliuionem apud posteros pariat, volo ut anniuersarium nostrum eodem tempore in perpetuum omni semota prepedicione solempniter celebretur, Item ecclesie Lynkopensj, curiam Normæløso, cum omnibus attinencijs, vbi ex parte domini episcopi fiat vnum altare, in quo omni septimana dicantur tres misse, due pro defunctis, & vna de domina in sabbato, festo non inpediente quod nos procurare debemus in omnibus parametis, exceptis libris, In quo etiam omni septimana dicatur vna missa pro defunctis, pro anima dilecti mariti nostri Domini siggonis, sicut in suo continetur testamento, Item singulis claustris in partibus Regni swecie, Cenobijs in Gothlandia & Fynlandia collocatis tantum exceptis, marcham argenti pro vino, ad incontaminati agni pro nobis in cruce immolati sanguinis confectionem, Item cuilibet hospitali in Regno swecie dimidiam marcham ar-

1) Födulo tima,

genti. Sed hec summa nichillominus est plenarie, & integraliter persoluta; Ne igitur super huiusmodi facto tam deliberatorie celebrato, & consulte, ac salubriter ordinato, cuiquam dubitacionis materia aut calumpnie relinquatur, sigilla Domini. M. serenissimi regis Sweorum Gothorumque, & illustris germani eius. B. ducis Fynlandie, ac venerabilis patris domini. B. episcopi lynkopensis, Meum, nec non & predulcium mearum, Margarete & helene filiarum feci presentibus, Anno dominj Millesimo ducentesimo, octogesimo quinto, fidedignis & auctenticis personis coram positis, applicarj. Actum presentibus domino Nicholao abbate in alwastrum & Fratre kanuto de sudherkopia confessore meo.

Alla 6 sigillen äro bortfallna; silkestrådar finnas qvar.

801.

1285.

JOHAN ELOFSSONS Gåfvobref på Medalbytorp på Öland till Nydala kloster.

A. 3. x. 1: 55.

Omnibus christi fidelibus presentes litteras inspecturis Frater Johannes dictus Eleps sun milicie christi de liuonia Salutem in eo qui est omnium vera salus, Racioni consonum fore creditur & omnino posterorum vtilitati profuturum vt quod pie & fideliter a fidelibus geritur ne processu temporis facilius a memoria decidat litterarum testimoniis confirmare, Innotescat ergo tenore presencium tam presentibus quam postfuturis me deuocionis affectu prouocatum predium quoddam in mædalbythorp, parrochie sigarstad, terre Ølandie vnam hastam quinque, cubitos secundum morem illius patrie continentem pro anima coniugis mee predilecte ob remissionem suorum meorumque peccaminum donacione sollempni monasterio Noueuallis perpetuo contulisse. Ne igitur personis in eodem monasterio domino deo seruientibus uel eorum successoribus qui pro tempore in ecclesia fuerint memorata super donacione predicta tam sollempniter & legaliter celebrata, aliqua possit in posterum calumpnia suboriri, presentes litteras inpressione sigilli mei roboratas eisdem confero in testimonium & plenioram euidentiam premissorum Hec autem littera data est Anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup>V<sup>o</sup>. licet dictum predium antefato monasterio longe ante fuerit assignatum.

Sigillet bortfallet.

802.

1285 d. 22 Febr.

Skara.

Kon. MAGNUS I:s Testamente af jord och penningar, skrudar, m. m. till kyrkor och kloster.

A. 4. a. 2: 8.

In nomine sancte & indiuidue trinitatis. Magnus dei gracia, Sweorum Gothorumque Rex, Vniuersis christi fidclibus, tam posteris quam mo-